Q.K. 412, 22.

II h 1206

DISSERTATIO DECIMA NONA DE JUDAEO QVODAM, QVEM A TEMPORE PASSIONIS DOMINICAE VIVUM AC SUPERSTITEM NONNULLI PUTANT,

QVA

PER-ILLUSTR. AC GENEROSISS. DOMINUM

DN. HEINRICUM IV. JUNIORIS LINEAE RUTHENUM, DOMINUM A PLAVIA, DOMINUM IN GRAIZA, CRANICHFELDA, GERA, SLAIZA ET LOBENSTEINO ETC. DOMINUM SUUM GRATIOSISSIMUM AC PERCLEMENTEM,

× 1862230

NEC NON

PLUR. VENERAB. ET AMPLISS.

DNN. INSPECTORES, SUMMOSQVE AC DOCTISSIMOS VIROS ALIOS,

M. JOHANNES SEBASTIANUS Mitternacht/

ILLUSTRIS RUTHENEI

RECTOR,

UT

EXERCITIUM ORATORIUM

NOVEM NOBILISSIMORUM ADOLESCENTUM,

DE *STUDIIS NOBILIUM JUVENUM*

DISSERTATURORUM PUBLICE,

CRASTINA, SI DEUS CONCESSERIT, LUCE SUB SECUNDAE POMERIDIANAE AUSPICIUM

INSTITUENDUM,

GRATIOSISSIME AC PERCLEMENTER,

BENEVOLEQVE AC ATTENTE AU-

SCULTARE DIGNENTUR,

HUMILIME, SUBMISSE, OFFICIOSE ET AMICISSIME

ROGAT ET INVITAT.

GERAE, cIↃ IↃↃ LXV.

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

GAleritis omnibus cristam inesse oportet, sive, ut habet è Simonide Plutarchus, (a) πᾶσι κορυδαλοῖς χρὴ λόφον ἐγγίνεσθαι, h. e. ut interpretatur Erasmus, (b) *nullum est cujusqvam mortalis ingenium, cui non sit aliqvod vitium admixtum*, adeò, ut, qvemadmodum galeritae naturale est, habere cristam; ita secundum hominis lapsi naturam sit, non carere vitio. Unde sit crista illa galeritae, Aristophanes (c) apud eumdem Erasmum (d) per fabulam satis profecto lepidam exponit. Ait enim, hanc avem fuisse omnium antiqvissimam, videlicet antè natam, qvàm esset terra. Qvumqj pater illius morbo periisset, nec esset sepulcro locus, in capite suo sepelîsse patrem; unde & crista tumuli loco esse putatur. Hujus adagionis haut praeterrem hoc loco jam recordor. Sive enim *sensum* ejus respiciam, ab Erasmo explicatum, sive Aristophanis *fabulam*, similimus galeritae videtur Sebastianus Barradius, Jesuita caetera satis doctus, in hoc verò redarguendus, ac tantùm non stoliditatis notandus stigmate, qvod vetustissimam illam de Johanne Evangelistâ, nondum demortuo, fabulam denuo in litterati orbis amphitheatro repraesentare non dubitavit: aut certè in capite vel cerebro suo ita sepelivit, ut natae inde crista fuerit, qvam haut parum extollit, ac tantùm non ipse adplaudit sibi, persvasus, se eam non confirmasse solummodo aliqvammultis argumentis, sed vindicasse etiam à praecipuis objectionibus. Qvam a infeliciter haec ejus opera cesserit, ac perdita fuerit cum oleo, ex Dissertationibus his nostris evidentissimum esse arbitror. Ita n. uti ominor, ab offuciis, qvibus eam obnubilaverat Jesuita famosissimus, veritatem liberavi, ut nemini nunc ignotum esse possit, B. Apostolum reverà mortuum esse, nisi qvi sponte coecutire voluerit. Nec opus videtur qvidqvam amplius adjicere: qvum ipsi Papaei ad eam crambem nauseent, utpote rancidam valde ac insulsam. Anteqvam autem ad umbilicum perducamus hoc qvalecumq; opusculum; *fabulam aliam*, ei commento, qvod è fundamentis hactenus, qvibus nitebatur, evertimus, admodum congenerem, examinabimus. Superiori anno cIↃ IↃC LXIII. in fastos qvosdam sive ephemerides fortè fortunà incidi, & ad Januarium statim adjecta qvaedam vidi, qvae, ut ibi habentur, hîc referam. Die erste wunderseltzame und denckwürdige Historia (haec enim ex inscriptione appendicis repetenda sunt) von einem wunder-

al-

alten Manne/ der viel älter / alß Mathusala / und nunmehr (anno 1663.) wohl in die 1660. Jahr alt seyn soll. Im Jahr Christi 1547. hat Herr Paulus von Eitzen / der H. Schrifft Doctor, und Bischoff zu Schleßwig / den alten Jüden / welcher seine Christi Leyden in der Welt herumb wandert / zu Hamburg in der Kirchen an einem Sontage / in gar schlechten Kleidern / und parfuß im Winter / angetroffen; so eine lange Person / mit langen über den Schuldern hangenden Haaren / welcher gar andächtig der Predigt zugehöret / und anzusehen gewesen wie ein Mann von 50. Jahren. Nachgehends hat der Herr Doctor mit ihme / außer der Kirchen / geredet; der ihm bescheidentlich gesagt / er wäre ein geborner Jüde von Jerusalem / mit Nahmen Ahasverus, seines Handwerks ein Schuemacher / so persönlich bey der Creutzigung Christi gewesen / und biß dahero lebendig (uti secundum Barradium Johannes) geblieben: davon er / wie auch von den Aposteln / den Regimentsveränderungen in den Orientalischen Ländern / und andern dergleichen Sachen / ordentliche Erzählung gethan / und gesagt / CHRISTUS habe unter dem schweren Creutz an seinem / des Jüden / Hause ruhen wollen / er aber habe ihn abgetrieben / und gesprochen / er solle sich wegpakken / wohin er gehöre. Darauf Christus zu ihm gesagt habe: Ich will alhier stehen und ruhen / aber du solt gehen biß an den Jüngsten Tag. Dieser Jüde hat sich gar still und eingezogen verhalten / und nicht viel mehr / denn was man ihn gefragt / geredet. Wenn er den Namen Jesus hörete / neigete er sich zum demütigsten / und schlug inniglichen an seine Brust. Wenn er einen fluchen gehöret / hat er mit grimmigen Eyfer und Seufzen gesagt: O du elender Mensch / O du elende Creatur! Soltest du den Namen deines HErrn GOttes / und seiner bittern Marter und Leyden also liederlich mißbrauchen? Hättest du / alß ich / gesehen / wie schwehr und sauer dem HERREN Christo seine Marter / meiner und deiner wegen / wäre worden / du würdest dir eher selbst groß Leyd anthun / alß so umsonst seinen Namen verunehren. Wenn dieser Jüde zu gast geladen war / hat er wenig gessen und getrunken: und wenn ihm Geld verehret worden / hat er

nicht

nicht viel über zweene Schilling genommen / davon er doch also bald wiederum den Armen außgetheilet hat / mit Anzeigung / er bedörffe keines Geldes / GOTT werde ihn wohl versorgen. Man hat ihn niemahlß lachen gesehen. In welches Land er kommen / derſelben Sprache hat er gebraucht: Wie er denn dazumahl gut Sächsisch geredet. Es seind mehr Leute / auch Herrenstands / und vom Adel / gewesen / so diesen Menschen in Engelland / Frankreich / Italien / Hungarn / Persien / Hispanien / Polen / Moscau / Liefland / Schweden / Dennemark / Schottland / und an andern Orten / auch in Teutschland / zu Lübek / Rostok / Wißmar / Dantzig / Königsberg / gesehen. Ann. 1575. haben zweene Holsteinische Gesanten / darunter der Secretarius, Christoff Krauß / ihn zu Madrit in Spanien in aller dergleichen Gestalt / Alter / Leben / Kleidung und Gebehrden angetroffen / und selbsten mit ihme geredt. Konte damalß gut Spanisch. Ann. 1599. befand er sich zu Wien / und Ann. 1601. zu Lübek. Ann. 1616. ist er in Liefland / zu Krakau in Polen / und in der Moscau von vielen Leuten gesehen worden / die auch mit ihm geredet. Dudulaeus. Beſiehe Martini Zeilleri epiſt. 7. Cent. 6. Hactenus Calendarium illud. At haec omnia verbotenus è Chryſoſtomi Dudulaei, Weſtphali, epiſtolâ III. eid. Decemb. ann. cIↃ IↃc XIIX. Revaliâ ad amicum transmiſsâ, Clariſsimus Zeillerus, (*e*) *paucisſimis vocibus mutatis*, enarrat. Et apud *Saxones* ſub Ann. Chriſti cIↃ IↃc IV. [adeoq; LXVII. ann. ab eo tempore, qvo primùm viſus Hamburgi dicitur] ſermonibus eam rem vulgatam fuiſse, Joh. Cluverius, Academiae Soranae Profeſsor Regius, in Epitome Hiſtor. (*f*) commemorat. Eumdem Judaeum eodem etiam anno, qvem Cluverius notat, in *Gallia*, ac locis aliis viſum fuiſse, Rodolphus Botereus, (*g*) Gallus, in magno Conſilio Pariſ. Advocatus, qvi, Rudolpho II. adhuc imperante, commentarios de rebus toto paenè orbe geſtis ſcripſit, Pariſiis & Francofurti cIↃ IↃc X. editos, teſtatur. Ejus qvoq; mentionem facit Libavius, vir ſanè celeberrimus. (*h*) Ac ſatis prolixè de hujusmodi Judaeo qvodam agit etiam Matthaeus Paris, ſive Pariſius, [Calviſius ad A. C. 1066. *Pariſienſem* vocat: ſed Cl. Hottingerus non patriae, ſed familiae nomen id putat: fuit enim patriâ Anglus, ac coenobii Albanenſis Monachus,] qvi juxta Antonium Poſſevinum floruiſſe dicitur A. C. cIↃ CCC. XL. at juxta Voſſium (*i*) cIↃ CC. XLV. mortuus, uti Zeillerus (*k*) tradit, cIↃ CC. LIX. Sic autem Paris ille: (*l*) *Archiepiſcopus qvidam Armeniae, in Angliam veniens, interrogavit de Joſepho, viro illo, [de qvo freqvens ſermo habetur inter homines, qvi, qvando paſſus eſt*

Dominus, praesens fuit, & loqvutus est cum eo, qvi adhuc vivit in argumentum fidei Christianae] si (utrum) illum aliqvando viderit, vel de eo qvidqvam audierit: respondit Archiepiscopus, adserens rem gestam seriatim. Et postea miles qvidam Antiochenus de familiâ ejus, qvi interpres illius erat, notus etiam cuidam famulo Domini Abbatis, Henrico Spigurnel, exponens sermones illius, dixit lingvâ Gallicanâ: benè, inqvit, novit Dominus meus (Archiepiscopus Armeniae) hominem illum, & paulò ante, qvàm iter adriperet ad partes Occidentis, idem Joseph in Armenia comedit ad mensam Domini mei Archiepiscopi, qvem multoties viderat & audierat loqventem. Et postmodum interrogatus de rebus gestis inter Dominum Jesum Christum & eumdem Joseph, respondit: Tempore Passionis Jesu Christi, qvum captus à Judaeis in praetorium adductus fuisset ante Praesidem Pilatum, ut judicaretur ab ipso, accusantibus ipsum constanter Judaeis, qvum Pilatus nullam in eo causam mortis invenisset, dixit ad eos: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Sed tandem invalescentibus clamoribus Judaeorum Pilatus iis dimisit Barrabam ad petitionem illorum, & tradidit eis Jesum, ut crucifigeretur. Trahentibus autem Judaeis Jesum, extra praetorium, qvum venisset (ex interioribus praetorii partibus) ad ostium, Cartaphilus (sic vocatus dicitur Judaeus ille ante baptismum) praetorii ostiarius, (an Judaeus praetorii ostiarius fuerit, meritò dubitatur) & Pontii Pilati, (scilicet ostiarius) qvum per ostium exiret Jesus, pepulit eum pugno contemtibiliter post tergum, & irridens dixit: VADE, JESU, CITIUS VADE, QVID MORARIS? Et Jesus SEVERO vultu & oculo respiciens in eum dixit: Ego vado, & exspectabis DONEC VENIAM: ac si juxta Evangelistam diceretur: filius qvidem hominis vadit, sicut scriptum est; tu autem secundum adventum meum exspectabis. Itaqve juxta verbum Domini exspectat adhuc Cartaphilus ille, qvi tempore Dominicae passionis erat qvasi TRIGINTA annorum, & semper, cum usq; ad centum attigerit redeuntium annorum, corripitur qvasi incurabili infirmitate, & rapitur qvasi in ecstasin, & convalescens redit redivivus ad illum aetatis statum, qvo fuit anno, qvando passus est Dominus, ut verè possit dicere cum Psalmista: Renovatur ut aqvilae juventus mea. Verum post passionem Domini, crescente fide Catholicâ, idem Cartaphilus baptizatus fuit ab Anania, qvi baptizavit D. Paulum Apostolum, & vocatus est Joseph. Habitat autem freqventer in utraq; Armenia, & in aliis regionibus Orientis, vivens inter Episcopos, & alios Ecclesiae praelatos, homo sanctae conversationis & religionis, pauca habens verba & circumspecta, ut qvi nihil loqvitur, nisi ab Episcopis & viris religiosis fuerit reqvisitus. Et tunc refert de rebus antiqvitatis, & de iis, qvae gesta fuerunt in passione Domini, & resurrectione, & de testibus resurrectionis, illis videlicet, qvi resurrexerunt cum Christo, & venerunt in sanctam civitatem, & adparuerunt multis. Refert etiam de Symbolo Apostolorum, & eorum divisione & praedicatione, & hoc sine risu & omni levitate verborum, & notâ reprehensionis vel redargutionis, ut qvi magis versatur in lacrymis & timore Domini, METUENS semper & SUSPECTUM HABENS adventum Jesu Christi in IGNE seculum judicaturi.

me

ne ipsum in ultimo examine inveniat iratum, qvem ad passionem PROPERANTEM *irridens ad dignam provocavit* ULTIONEM, *&c.* Haec totidem litteris tradit Paris, & ex eo famigeratissimus Reformatorum Theologus ac Philologus, J. H. Hottingerus. (*m*) Ego qvoqve optumè adhuc recordor, qvum Scholae Senatoriae Numburgensis ann. cIↃ IↃC XXX. alumnus in familia Dn. Davidis Poerneri, Cantoris, viverem, reperisse in schedis qvibusdam vetustis, qvas olim Cantor alius reliqvisse dicebatur, chartas nonnullas M S S. in qvibus referebatur, nescio, qvo anno, (oblitus n. sum) in ipsis nundinis Petro-Paulinis ventitasse hominem qvemdam vultu ad severitatem composito, & vestitu gravi in templum parochiale D. Wenceslai, ac è regione suggesti, è qvo tum habita fuisset concio, stitisse semet, pulsasse pectus saepius, inclinasse ad dextrum latus caput, stare verò diu non potuisse, ideoq; modò antrorsum ivisse, modò retrorsum, freqventer solutum in lacrymas, ut, qvi viderant, mente captum putarint. Finitâ verò concione interrogatum, ecqvis esset, & qvid vellet sibi, respondisse, se natione seu genere esse Judaeum, vixisse jam olim Passionis Dominicae tempore, calcearia Hierosolymis exercuisse, nec procul à portâ, per qvam Salvator ad montem Calvariae deductus fuerit, habuisse fortunarum suarum sedem, & Jesum, qvum ibi ad januam qviescere paululum voluisset, abegisse, ac protrusisse: Jesum v. irato vultu dixisse: ego qviescam, tu verò stare non poteris, dum ad judicium veniam. Et hinc factum, ut neq; interdiu neq; per noctem qvierit hactenus. Se tamen certissimum esse, qvod veniam peccatorum conseqvutus coelestem olim patriam sit introiturus; ideoq; calamitatem maxumam licet, ac tam diuturnam, patienter ferre, qvum praesertim animadverteret, se miraculose sine somno & qviete tot secula conservatum esse. Tandem adjiciebatur in chartis illis MSS. multos mercatores muneribus sat amplis eum ornasse, plebem plerāmq; stupuisse, non defuisse tamen, qvi agyrtam censuerint. Nec adeò multi elapsi sunt anni, qvum in nundinis Lipsiensibus impostor hujusmodi visus fuit, qvi sacco qvodam lapidibus oppleto, & in tergum rejecto, plateas gemebundus peragrasse tum dicebatur, disparuisse v. h.e. furtim se subtraxisse, ubi intellexerat, fore, ut in carcerem conjectus adcuratius examinaretur. Qvomodo elapso etiam clanculum fuit, qvi Numburgi simplicioribus imposuit. Qvum n. postero die jussu Magistratus comparere coram Ministerio Ecclesiastico deberet, mane orto reperiri nusqvam potuit, qvod in iisdem chartis MSS. legisse memini. Qvāqvam a. hodieq; sunt, qvi non simpliciter rejiciendam hanc de Judaeo narrationem arbitrentur, qvum non sit, uti ajunt, ἐκ τῶν ἀδυνάτων ἢ ἀτόπων, & non parum momenti ac ponderis habere videatur ad movendos, simpliciorum cum-

pri-

primis, animos, ac conciliandam historiae Passionis Dominicae fidem, hominesq; vulgò ejus sint ingenii, ut plus fidei habeant uni testi oculato, qvàm decem auritis, ut loqvuntur; Pastores a. Ecclesiae habeant se instar testium, qvos vocant auritos &c. rectius tamen judicare puto eos, qvi *fabulis, nugis* ac *commentis* vendicant, qvidqvid hujus furfuris apellae passim disseminarunt de se, à Passionis tempore adhuc superstitibus; licet non negent, nonnihil veri ex historia Evangelistarum interstratum fuisse. Hoc n. solenne est Satanae, mendaciorum Parenti, falsissima, qvae ad dementandas hominum menteis, & avocandas à veritate ad fabulas ac somnia, sparsit, paucis qvibusdam veris interstingvere. Audiamus hic Clarisf. Hottingerum, qvi, anteqvam ad relationem istam se accingit, ita ait: (*n*) *Referri huc deberet exemplum Josephi illius, de qvo* Matth. Paris; nisi APERTUM NIMIS REDOLERET FIGMENTUM. *Inseram interim illud Historiae Judaicae, ut pateat, longo satis tempore* FABULAM *illam,* QVAM HODIERNO *etiam die agyrta, sub alio tamen nomine, qvidam agit, non demum* χθὲς ἢ πρόχθες *natam esse.* Idem sentit celeberrimi nominis Theologus, Dn. D. Danhauerus in Dramate sacro, (*o*) ubi cum Judaeo isto (si Dîs placet) immortali alios qvosdam Sanctos ἔνιους, *Longinum videlicet, Georgium, Christophorum, Petronillam, Teclam, Catharinam, & Septem* DORMIENTEIS, de qvibus suprà Dissertatione IIX. egimus breviter, conjungit. Ac Nicolaus Helduaderus, Theologus *Sleswicensis*, & Mathematicus insignis, in sylvâ Chronologicâ Circuli Baltici (*p*) hunc in modum scribit: In diesem 1604. Jahr ist eine Fabell in öffentlichen Drukk außgangen von einem Jüden / der zu Jerusalem / zu Zeiten des HErren Christi / solte ein Schuster gewesen seyn / und deswegen / daß er den HErren Jesum / an dem Chaarfreytage / mit einer Schuchleisten / alß er zu seiner Marter gegangen / geschlagen / nicht sterben können / sondern müste in der Welt herum lauffen und vagiren / biß an den Jüngsten Tag / si credere fas est. Haec ille: qvae ideò huc retulisse volui, ut pateat, qvantum auctoritatis habeat epistola Chrysostomi Dudulaei è Revaliâ scripta. Si n. verè Paulus ab Eitzen / Th. D. & Episcopus *Sleswicensis*, ut eum Dudulaeus vocat, litteris consignavit, qvae vidit, & audivit à Judaeo, vel vidisse Dudulaeo dicitur; mirum profectò videri alicui qveat, id latuisse Helduaderũ, Theologũ *Slesvvicense*, ut qvi nihil de Paulo illo ab Eitzen addit. Unde parũ abest, qvin putẽ, Paulo illi praeter jo & fas tribui, qvod ipsi Dudulaeo tribuit. Qvod si a. reverà contigerunt, qvae Dudulaeo refert, & ipse Paulo ab Eitzen menimento aliqvo id testatur, sucò ŏninò videtur factò bono viro ab agyrtâ illo Judaico; ideoqve μετὰ παῤῥησίας narrationem illam de Judaco Helduaderus FABULAM

ad-

adpellitat. Nec n. infreqvens est recutitis, imponere Christianis, eosdemqve, qvibus possunt, modis circumscribere. Ac sanè consuluisset sibi, & auctoritati suae meliùs Dudulaeus ille, si adjecisset, num ipse tale qvid ab Episcopo Slestwicensi audierit, an verò scriptum alicubi invenerit. Audire vix potuit, qvum ille ann. cIↃ. IↃ. XLVII. floruerit, Dudulaci v. epistola ann. cIↃ IↃc XIIX. adeoq; LXXI. an. pòst scripta sit. Accedit, qvod aliae qvoqve circumstantiae *maxumopere variant*, & qvidem narrent, hoc vel illo anno visum hîc vel alibi Judaeum illum fuisse, qvod verò negant alii. Sis *Botereus*, anno cIↃ IↃc IV. *Parisiis & in Galliâ* visum adserit; at *Julius Caesar Bulengerus*, (r) inter caetera sic scribit: *Credat Judaeus Apella. Hominem id temporis, qvum Parisiis agerem, non vidi*, NEC *de eo satis certis auctoribus* AUDIVI *&c. Et qvot* contradictionibus scatet diversa diversorum relatio? Matthaeus Paris ex ore Archiepiscopi Armenii vocat *Cartaphilum*; alii, ut habet Libavius, *Buttadaeum*, ante baptismum: post baptismum Matthaeo Parisio dicitur *Josephus*, Paulo ab Eitzen *Ahasverus*. Qvid dicam, qvod nondum evictum sit, olim Judaeos conversos in baptismo, abjectis pristinis, & in circumcisione acceptis nominibus, NOVA, & *prorsus alia* suscepisse? Infantibus in Baptismo imposita fuisse nomina sive Parentum sive Apostolorum, ex Dionysio de Eccles. hist. Hierarch. cap. de Baptismo, & Dionysio Alexandrino apud Eusebium (q) liqvet: sed adultorum nomina immutata semper, & Apostolorum inprimis tempore, fuisse, μέγα λίαν ἄτοπα &c. Porrò Paulò ab Eitzen Judaeus ille *sutor* fuit vel calceatius, Parisio verò *janitor* vel *Ostiarius*. Huic dicitur pepulisse Christum *è praetorii partibus interioribus ad ostium venientem*; illi *ad fores sutoris* hujusce *qviescere volentem*. Huic dicitur pepulisse Salvatorem *pugno*, aliis verberasse eum *formâ* vel *formulâ calcei*, qvibus vocibus Ael. Lampridius, & Ulpianus Germanorum Schuchlet-sten exprimunt. Hamburgi mediâ hyeme *discalceatus*, alibi *non sine calceatu* adparuit. Hamburgi formam viri *qvinqvaginta*, alibi *triginta* annorum prae se tulit. Nec *verba*, qvibus Christum adloqvutus fuisse dicitur, sibi constant, ut ex collatione patet. Alibi non *stetit* solùm, sed *sedit* etiam; Numburgi *nec stare* se diù, nec *sedere posse* aut qviescere simulavit. Nec ita *parcus* Numburgi in accipiendâ *pecuniâ* fuit, uti Hamburgi fuisse dicitur. Et qvî Oratores Holsati Madriti in Hispania ann. cIↃ IↃc LXXV. scire potuerunt, Judaeum ibi visum eamdem habuisse faciem, qvam habuit Hamburgi cIↃ IↃ XLVII. Viderunt ne eum anteà Hãburgi? Et ubi, qvo libro, seu qvo scripto, apud qvem Historiographum referunt Legati illi, qvod Dudulaeus ait? Et qvis evincet, unum eumdemq; numero hominem, ut Philosophi loqvuntur, in locis ac regnis adeò remotis oberrasse? Si etiam Jesum *properantem* ad passionem Judaeum vidit, uti Paris circa finẽ lo-

loqvitur; ecqvî, juxta eûdē, dicere ad eũ potuit: *Citius vade; qvid moraris?* Nec n. *moratur*, qvi *properat*, nec properat, qvi moratur. Taceo contradictiones alias, & qvod Parisii relatio qvibusdã in locis cõtraria videatur Historiae Evãgelicae. Paris enim narrat, Judaeos à Pilato accepisse, ac *traxisse* Jesum *extra* praetorium ad ostium, qvo egressus è praetorio in urbem patuit. Sed apud Matthaeum Evangelistam, (*s*) antè teloniaco dederat qvi tempora lucro, στρατιῶται τῦ ἡγεμόνος h.e. Pilati MILITES (non ipsi Judaei) dicuntur παραλαβεῖν h. e. manu violentâ & impetuosâ accepisse à Pilato Jesum, & (*t*) *abduxisse* eum, (à Pilato, in praetorio sedente) & EDUXISSE (è praetorio) ἵνα σταυρώσωσιν αὐτὸν, ceu Evangelista, cui faciunt vates os effigiemqve leonis, (*u*) refert. Paris subinnuit, Judaeos traxisse Jesum *è praetorio* à Pilati facie, usq; ad ostium vel januam, qvâ ex eo in urbem ibant. At Judaei non fuerunt in praetorio, id qvod disertè notat Evangelistarum aqvila, Johannes. (*x*) qvomodo ergò, qvi non fuerunt in praetorio, traxerunt Jesum è praetorio? Ex qvibus, & aliis, qvae pòst paulò monebimus, patet, qvòd digni fermè videantur impostores isti, qvi se venditarunt pro sutore isto, ut iisdem eadem exsolvatur merces, qvae impostori alii, Johannem Evangelistam, juxta plurimos Papaeos nondum mortuum, mentito, soluta fuit. Agyrtam n. illum, *qvi se* superiori seculo *dicebat Johannem Evangelistam*, qvemq; Gvilielmus Postellus, multarum qvidem lingvarum, sed nullius fidei, & vertiginosae Theologiae homo, *fratrem suum* adpellabat, Tholosae tandem crematum fuisse, Gisbertus Voëtius (*y*) ex Beza (*z*) narrat. Qvod v. nonnulli, ut antea retulimus, urgent, hujus Judaei testimonio, facilius moveri homines, ut fidem habeant iis, qvae de Passione Dominicâ Evangelistarum sacer ordo tradit; ad id respondeo cum Siracidâ: (*a*) ἄνευ ψεύδους συμπλεσθήσεται νόμος καὶ σοφία σοφὴ πιστὴ πλήσεις. Abundè nobis testatam sanctissimae Passionis historiam sanctissimus Dei Spiritus amanuensium suorum operâ reliqvit, ut opus non habeamus, là verbi θεοπνεύστου soliditate confugere ad mendaciorum vanitatem. Nec destituimur testibus oculatis, h. e. Apostolis & Evãgelistis, à qvibus qvidqvid audiunt, ac referunt nobis fideles nostri & orthodoxi Doctores, huic fidere tutò possumus. Nec ullius momenti est, qvod inculcant qvidam, aliqvid miraculi in eo latere, qvod Judaeus ille Hamburgi *Saxonicè*, Madriti verò *Hispanicè*, & alibi alio idiomate loqvutus fuerit. Non enim satis est, id scriptitasse Dudulaeum, ita ab aliis persvasum. Argumentis hîc solidioribus, ac testibus ἀξιοπίστοις opus est, non futilissimis narrationibus. Et suprà diximus, incertum esse valdè,

eundem numero hominem Hamburgi & Madriti eamdem lusisse fabulam. Sed esto: nullum tamen inde exsculpi miraculum potestur. Qvis enim ignoret, semper fuisse πολυγλώτ8ς nonnullos, eosqve interdum parum pios. At multa narravit *de Apostolis, &c. mutationibus Rerumpublicarum in partibus Mundi Orientalibus &c.* Nec verò haec fidem faciunt fabulae. Qvae enim de Apostolis &c. VERA dixit, ex N. Testamenti libris haurire potuit: qvae de mutationibus Rerump. tradidit, ex Historicorum monimentis depromsit. Sed *honestè vixit*, ac *taciturnitatem* coluit. Qvid prae gentilibus, hîc peculiare habet? *Nomen Christi veneratus, & abusum* ejus *detestatus fuit.* At hoc & hypocritae faciunt, immò ipsi Athei, simulandi ac dissimulandi miri artifices. Viderunt eum *Summi* nonnulli *viri*, *Dynastae*, *Nobiles*. His etiam impositum saepenumero fuit, hodieqve imponitur. Verum distinctis seculis visus fuit. Hoc non dicendum, sed probandum erat. Testatur verò id Archiepiscopus Armeniae apud Parisium ante qvatuor secula, & Dudulaeus nostro hoc seculo. Atneuter evicit, esse eumdem hominem. Et annon decipi etiam ac falli Archiepiscopi possunt? Eo certè tempore, qvo Paris scripsit, nihil freqventius erat, qvàm fingere & comminisci, qvum non stolidum vulgus tantùm, sed etiam, qvi eruditi haberi volebant, omnia, qvae petulantis cujusqve ingenii versutia comminiscebatur, nullo adhibito examine, reciperent & admirarentur. Annon enim monstra plurima & portenta opinionum impetum eâ tempestate in Ecclesiam fecerant, ingenteisqve strages dedarant animarum? Nec mendacia cum auctoribus suis intereunt, sed, Arethusae in morem, licet hîc intercidere videantur, alibi tamen erumpunt: profligari interdum, & ex uno aliqvo loco exturbari possunt; non ita verò exstirpari, ne repullulent iterum alio loco, & tempore alio. In alia enim atqve alia ingenia, iis, unde primitùs originem traxerant, similia, post aliqvot annorum peridos incidere solent, ac si per μετεμψύχωσιν qvamdam transmigratio fieret. Certè post Diogenem ac Timonem non pauci Diogenes ac Timones fuerunt observati: nec qvisqvam antehac vixit, cujus non similis aliqvis revixerit, & qvasi Virbius lumen revixerit. Qvid miremur itaqve, si post agyrtam illum apud Parisium subseqvutis temporibus alii atqve alii è scena in theatrum prodierint: qvum eadem semper agatur fabula, mutatis dumtaxat personis. Et qvis, qvaeso, observavit, verpum illum veteratorem, qvi misero Armeniorum Archiepiscopo „cerebrum excussisse dictis suis videtur,

&c.

& eripuisse mentem, centesimo qvoqve anno ad illum aetatis statum redire, qvo fuit, qvum passus fuit Dominus? Sed expediamus alia etiam arma, qvibus commentum istud oppugnamus. Urgemus itaqve praeter ea, qvae jam inculcavimus, *altissimum de Judaeo isto immortali totius antiqvitatis venerandae silentium.* Si enim omnem historiae sacrae ac biblicae seriem replicamus & evolvimus; nihil omninò de eodem reperimus. Tacent Evangelistae, tacent Apostoli; nec ullus eorum qvidqvam, vel per nebulas tantùm, insinuat; qvum alia, qvae eo tempore contigerunt, hoc miraculo *multò minora*, ad minimas usqve circumstantias diligentissimè descripserint. An igitur putemus, insuper eos habituros fuisse, si qvid tale *sutori* isti, qvi sutorio suo atramento, sive sepiâ effusâ, multorum animos deludens elapsus fuit, reverà contigisset? Etsi enim multa alia consultò praeterierunt silentio; res tamen tanti ponderis, & ad promovendam Judaeorum aeqvè ac gentilium conversionem apprimè & oppidò utileis, neqvaqvam reliqverunt intactas. Ac nemo prudens & pius infitiabitur, narrationem istam, si, qvod narratur, evenisset, & ab Evangelistis vel Apostolis adnotatum esset, maxumum pondus ad commovendos hominum animos habituram fuisse, qvoties Judaeus iste occurraret oculis. Sed nec Evangelistae solùm & Apostoli, numine pleni, verùm etiam qvotqvot Ecclesiasticarum rerum historiam contexuerunt, Judaeum istum penitus ignorant: immò Nicephorus, ut non abhorreat à fabulis & nugis, nihil tamen hac de re tradidit. Ubi ergò latuit *tot secula* Judaeus ille? Respondebunt nonnulli cum Archiepiscopo apud Parisium; *in Armenia, & aliis regionibus Orientis.* At hoc non est respondere ad qvaesitum. Qvaesitum enim fuit, ubi latuerit à tempore Passionis Dominicae usqve ad illius Archiepiscopi aetatem h. e. per integra *duodecim secula*, & qvod excurrit; & respondetur, ubi ille, qvi se Archiepiscopo pro Judaeo longaevo venditavit, *eo ipso tempore* victitarit. Res certè non Armeniorum tantùm, sed aliarum etiam gentium Orientalium satis adcuratè in scriptis suis retulerunt Historici tum Ecclesiastici, tum alii: at nullus usqvam umqvam hujus Judaei meminit. Et qvur nemo prorsus *Patrum*, qvi tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesiâ ab Apostolorum temporibus usqve floruerunt, vel tantillum de hoc miraculo consignavit litteris? Qvia videlicet nihil de eo umqvam audierunt. At qvî tanti momenti res totum Orbem Christianum per tot secula clanculum esse potuerit? Qvemadmodum igitur translatio domus, ut vocant, Lauretanae vel inde est suspe-

&a

ta cordatis, qvod tanto temporis tractu ab eo anno, qvo facta dicitur, nullus Historicorum, & aliorum auctorum memoriae qvidqvam de eadem prodidit: sic multò magis hanc de Judaeo relationem suspectam esse oportet, qvod *ultra mille ac ducentos annos* nihil tale apud Historicos auctores occurrit. Deinde agyrtarum istorum narratio de seipsis omninò est *contraria statui*, in qvo Christus *patiens* erat. Describit illum B. Petrus his verbis: (β) ὃς λοιδορούμενος ΟΥΚ ΑΝΤΕΛΟΙΔΟΡΕΙ, πάσχων ΟΥΚ ΗΠΕΙΛΕΙ· παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, h. e. juxta Erasmum: *qvum maledictis incesseretur, non remaledixit*; (qvo verbo saepe Cyprianus utitur) *qvum malis adficeretur*, NON MINABATUR: *sed tradidit vindictam* (Bez. & Erasm. in notis, *causam*; Syr. *judicium* suum) *ei, qvi judicat justè.* Ubi notandum, qvod per λοιδορίαν in voce λοιδορούμενος *verbales*, & per πάθημα in voce πάσχων intelligantur omnis generis injuriae *reales*, Christo illatae, v. g. sputum, colaphi, verbera, flagella, & ipsum crucis supplicium, uti docet B. Gerhardus, (γ) qvi & haec habet: (δ) *remittit nos Apostolus ad Historiam Evangelicam, praesertim Passionis Dominicae, qvae testatur, Christum exqvisitissimis convitiis & maledictis adfectum, nullum tamen maledictum, convitium nullum,* MINAS NULLAS UMQVAM REGESSISSE. Ad tuum autem, LECTOR BENEVOLE, judicium provoco, & qvaero, numqvid non MINATUS *fuisset* Jesus Judaeo illi, qvocumqve veniat nomine, *mala gravissima*, si dixisset: **Du solt gehen biß an den Jüngsten Tag?** Cui itaqve credendum tutius, Petro, Apostolo? an Judaeo circumforaneo ac sutori, è dolis ac fraudibus consuto? Et qvis credat, Christum pro omnibus, qvi crucifixerant, ardentissimè precatum, tam duro fulmine percussisse unicum illum Judaeum, qvi inviderit qvietem fatigato? Plus utiqve, & multò est atrocius, sputo sanctissimam faciem foedare, impingere colaphos, coronam spineam adigere violenter in caput, scuticis flagellare, manus ac pedes terebrare clavis, felle potare, convitiis proscindere. Et eorum nulli tamen, qvi his eum modis excarnificarunt, vel minimum mali sive imprecatus, sive minatus fuit. Credat ergo qvicumqve vult, Judaeum illum ultra cIↃ IↃC XXXI. annos vixisse: ego absqve Scripturâ teste credere id non qveo. Ac nemo tam expers rerum esse potest, ut veteratorium ac vaferrimum in decipiendis Christianis simplicibus verporum ingenium non noverit: qvippe qvi in primâ laudis parte ponunt, nimis avia vero Christianis narrare, vanasqi pro veris voces fundere, ac animos nimium credulos calvi, ac dolo circumi-

cumscribere. Miramur itaqve non parum, esse inter eos, qvi religionem puriorem amplexi veritatem profitentur, nonnullos adeò imprudenteis, ut furfure pasci, qvàm tritico, malint, fidem Judaeis, gerronibus ac nugivendulis levissimis, habeant, gerrasqve hujuscemodi, Siculis multò vaniores, amplexentur. Verum enim verò claudendi tandem sunt rivuli; qvum satis bibisse prata videantur. Ostendimus enim hac tenus, qvae genuina sive germana loci Joh. XXI. §. 22. sit lectio, & qvae depravata sive corrupta: exposuimus, qvid per adventum Christi eo in loco denotetur: evicimus, B. Johannem Evangelistam non fuisse morte violentâ seu cruentâ exstinctum, sed placidè ac beatè obdormiisse; probavimus, eum non statim post mortem resuscitatum, & corpore aeqvè ac animâ sublatum in coelestem illam beatorum arcem; qvum Papaei nec B. Virginem hoc modo adsumtam fuisse, hactenus probare solide potuerint: demonstravimus, eum non dormire in sepulcro, nec vivum è terris in Paradisum terrestrem translatum; ideoqve inde reverti & occidi ab AntiChristo cum Enocho & Eliâ non posse; qvum AntiChristus jampridem venerit, nec rediturus Enochus & Elias in corporibus mortalibus sint, & Paradisus aqvis diluvii jam olim fuerit obrutus ac deletus: vidimus etiam, qvàm frigidae sint rationes, qvibus Barradius fabulam de Johanne in corpore mortali hodieqve superstite suffulcire voluit, & qvàm nulla sint, qvae ad objectiones ille reponit. Ac tandem intelleximus, qvàm futilis sit & inepta qvorumdam opinio de Judaeo qvodam aeqvè ac Johanne à Pasionis Dominicae temporibus vivente, & peragrante Orbem. Gratias autem, qvas mente concipere possumus, maxumas benignissimo Numini nuncupamus, qvod oculos mentis nostrae radiantissimo verbi sui jubare ita illuminavit, ut discernere inter verum & falsum, atqve inter historias & fabulas possimus. Servet id nobis preciosissimum hunc coelestis veritatis thesaurum, eumdemqve posteris etiam illibatum indulgeat. Confundat vaframenta omnia non tam consiliorum, qvàm insidiarum, qvas orthodoxae Ecclesiae numqvam non struere tenebrarum princeps adsolet: alas verò divinae suae protectionis supra piorum ac fidelium pusillum gregem expandat, ac mala omnia, qvae mali illis intentant, manu potentissima averruncet, & in eos retorqveat, qvi, qvum qviescere ipsi non valeant, qvietem aliorum turbare in primâ felicitatis parte collocant. SURGE DOMINE, ET DISSIPENTUR INIMICI TUI, ET FUGIANT, QVI ODERUNT TE, A FACIE TUA. (s) Confero me nuncipsum ad adolescenteis Nobilissimos, qvi crastinâ, si Deus dederit, die sistent, se in cathedrâ, dissertaturi non de nugis aut fabulis sed maxumi momenti argumen-

tis,

tis. Etenim I. ERNESTUS A Falckenhain/ Eqves Silesius, ostendet, vanissimam prorsus, ac periculosam valdè esse eorum opinionem, qvi abunde sufficere putant, nobili loco natum esse, etiamsi, qvi ita natus sit, nullas habeat virtutes proprias, sed vitiis potius semet immergat. II. FRIEDERICUS A Falkenhain / Eqves Silesius, illius frater germanus, inculcabit, qvàm parum deceat ingenium nobile oblectari ineptiis puerilibus, omneisq; ab iisdem revocabit ad nobiliora studia. III. JOHANNES LUDOVICUS A Pölnitz/ Eqves Misnicus, ad PIETATIS exercitia nobileis animos exsuscitabit. IV. RABANUS HEINRICUS AB Uffel/ Eqves Hassus, ut nobilissimi adolescentes ad PRUDENTIAE laudem adspirent maturè, svadebit. V. GUNTHERUS à Bünau/ Eqves Variscus, FORTITUDINEM commendabit, & VI. MAURITIUS HEINRICUS Trütschler / Eqves Variscus, ad eruditionem, & Eloqventiae cumprimis studia nobileis animos adhortabitur. VII. porrò vice Prologi pauca qvaedam in ipso hujus exercitii vestibulo de studiis nobilium adolescentum disertabit CHRISTIANUS Ehrenfried A Pölnitz / Eqves Variscus, IIX. ERNESTUS ABRAHAMUS A Lohma / Eqves Variscus, exponet breviter, qvàm sibi grata & jucunda fuerit haec disertatio, addetqve, se per Dei gratiam id posthac daturum fore operam, ut ad eum modum, qvem audivit, omnem vitae suae rationem componat. Tandem IX. CHRISTIANUS LUDOVICUS A Pölnitz / Eq. Misnicus, toti auditorio eas, qvae debentur, gratias pro gratiosissimà & perclementi, benevolâq; & attentâ auscultatione persolvet. PER-ILLUSTREM JAM ET GENEROSISSIMUM DOMINUM, DN. HEINRICUM IV. Junioris lineae RUTHENUM, Dominum à Plauen / Dominum in Graitz / Cranichfeld / Gera / Schlaitz & Lobenstein &c. Dominum nostrum gratiosissimum & perclementem: nec non PLURIMUM-VENERABILEIS, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS DNN. INSPECTORES, SUMMOSQVE VIROS ALIOS, & EXIM. atqve DOCTISSIMOS, DNN. STUDIOSOS, si qvi jam intra moenia vivunt, ut gratiosissimè ac perclementer, benevoleqve & attentè auscultare adolescenteis Nobilissimos dignentur, eo, qvo decet, modo, h. e. humilimè, officiosissimè, & peramanter rogitamus, sanctè polliciti, non fore, ut ultra ses-

qvi

qvihoram detineantur à gravissimis, qvos publici boni causa subeunt, laboribus. Brevissimae n. sunt, licet non inelegantes, Orationes, ac multò succinctiores compellationes aliae. P. P. IV. eid. April. cIↃ IↃc LXV.

NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) *in Timoleonte.* (b) *in adag. p. m. 1205. edit. Venet. ann. cIↃ IↃ LXXXV.* (c) *in Avibus.* (d) *loc. cit* (e) im andern Theil der Sendschreiben / *epist. D. VII. pag. m. 700. 701.* (f) *p. 759.* (g) *lib. XI. histor p. 385.* (h) *Prax. Alchym. p. 291.* (i) *t. 2. de Hist. Gr. & Lat.* (k) *in Histor. Chronol. & Geogr. part. I. p. 106. & part. 3. sive ult. p. 172.* (l) *p. 339.* (m) *in Hist. Eccl. part. 3. p. 547. seqq.* (n) *loc. cit.* (o) *theat. II. ph. 1.* (p) *part. II. pag. 271.* (q) *lib. VII. cap. 25.* (r) *Hist. sui temp. fol. 357.* (s) *cap. XXVII. 27.* (t) *vers. 31.* (u) *cap. XV. 16. 20.* (x) *c. XII X. 28.* (y) *part. I. Dispp. select. p. 1146.* (z) *ad Johann. XXI.* (α) *Sir. XXXIV. 8.* (β) *1. Pet. II. 23.* (γ) *comment. 1. Pet. II. 23. pag. m. 291.* (δ) *pag. 292.* (ε) *Numer. X. 35.*

QK Th 1206

VD17

sſe oportet, ſive, ut ha-
σι κοχυδαλοῖς χρὴ λόφον
raſmus, (b) *nullum eſt cujus-*
od vitium admixtum, adeò, ut,
e eſt, habere criſtam; ita
ſit, non carere vitio. Unde
es (c) apud eumdem Era-
t. Ait enim, hanc avem
qvàm eſſet terra. Qvumq;
in capite ſuo ſepelîſſe pa-
adagionis haut praeter
piciam, ab Eraſmo expli-
videtur Sebaſtianus Bar-
guendus, ac tantùm non
lam de Johanne Evange-
rbis amphitheatro repræ-
ſuo ita ſepelivit, ut nata
tùm non ipſe adplaudit ſi-
qvammultis argumentis,
n a. infeliciter haec ejus o-
onibus his noſtris eviden-
qvibus eam obnubilave-
i nunc ignotum eſſe pos-
nte coecutire voluerit. Nec
Papaei ad eam crambem
qvam autem ad umbilicum
um, ei commento, qvod è
admodum congenerem,
s qvosdam ſive ephemeri-
ta qvaedam vidi, qvae, ut
ind denkwürdige Hiſtoria
at) von einem wunder-

ſmum (*d*) per
ſuiſſe omniu
pater illius m
trem; unde
rem hoc loco
catum, ſive
radius, Jeſuit
ſtoliditatis n
liſtâ, nondur
ſentare non
ei inde criſta
bi, perſvaſus,
ſed vindicaſſ
pera ceſſerit,
tiſſimum eſſ
rat Jeſuita fa
ſit, B. Apoſt
opus videtur
nauſeent, utp
perducamus
fundamentis
examinabimu
des fortè fort
ibi habentur,
(haec enim ex

al
(a
ha
Se
hen
ſch
m
Pr
M
ihr
mi
fön
(u
vo
be
ſag
H
ſi
bi
go
P
in
m
tu
te
ſch
w
ſo
er

ala

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-4939-p0017-1